

## Alte Drucke

**DE PVERIS || STATIM AC LI=||BERALITER INSTI-||TVENDIS,  
LIBEL-||LVS ELE-||GANS. || DESIDERIO ERASMO ||  
ROTERODAMO || AVTORE. ||**

**Erasmus, Desiderius**

**Lugduni, 1541**

CONCIO DE PVERO IESV.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150964**

pisse, quantum suo quidq; tempore agere, quantum possit assiduitas, quàm bene minimorum accessione crescat aceruus Hesiodius, quàm fugax ætas, quàm occupata inuenta, quàm indocilis senectus. Hæc si tecum expendes, nunquam committes, ut in filiolo, non dicam septennium, sed ne triduum quidem prætereat, in quo ad eruditionem qualicumque profectu uel præparari, uel instrui possit. D I X I.

# CONCIO DE PVERO IESV.

Pronuntiata à puero in schola Coletica,  
nuper instituta Londini.



VER apud pueros uerba facturus de ineffabili puero IESV, nõ optarim mihi Tullianã illam eloquentiã, qua breui atq; inani uoluptate aures delinuat. Quantum enim abest Christi sapiëntia à sapiëntia mundi (abest autè immenso interuallo) tantũ oportet Christianã eloquentiã à mundana differre eloquentia. Sed illud unã mecum ardentibus uotis impetretis uelim ab optimi IESV optimo patre deo, à quo ceu fonte, bonorum omnium summa proficiscitur, quiq; solus sæcundo illo suo spiritu linguas  
c s infan

infantū reddit disertus, uel è lactentium ore laudem absolutam depromere solitus, ut quemadmodū omnis nostra uita non alium exprimere debet, quā ipsum, de quo dictūri sumus IESVM: ita & oratio nostra illum sapiat, illum referat, illum spiret, qui & uerbū est patris, & uerba uitæ solus habet, cuius sermo uiuus, & efficax, penetrantior est quouis gladio ancipiti, ad intimos etiam cordis recessus penetrans. Vtq; ipse, de cuius uentre flumina promanant aquæ uiuæ, non grauetur per organū uocis nostræ, ueluti per canalē, in omnium uestrū animos influere, multoq; gratiæ coelestis irrigare succo. Id ita futurū confido commilitones mei charissimi, si pijs uotis purgatas, ac uere sitiētes aures adiūgetis. Eas uidelicet aures, quas æternus ille sermo requirens in Euāgelio, Qui habet (inquit) aures ad audiendū, audiat. Nos porro cur non audeamus rem hanc, arduā quidē illā, sed tamen piā aggredi? Prasertim ipso adiutore deo, in quo hoc plus potest mortalis infirmitas, quo minus suis nititur uiribus, & in quo Paulus omnia se posse gloriatur. Iam uero cū tanto studio flagrent isti, qui mundanæ hoc est diabolicæ militiæ dedere nomina, ut suum quiq; ducē laudibus uehāt: nobis quid prius aut antiquius esse debet, quā ut præceptorē, uindicē, imperatorē nostrū IESVM, ac eundē quidē omnium, sed tamē peculiariter nostrum, id est, puerorū principem, certatim pijs celebremus præconijs? Hunc in primis cognoscere studeamus, cognitū laudemus, laudatū amemus, amatū exprimamus, atq; imitemur, imitantes eo fruamur, fruētes immortalī felicitate potiamur. Sed in tam ubere tamq; immēsa rerū copia, unde queſo initiū, aut ubi finē nostrā reperiret oratio? cum is,

de quo

Gradatio

de quo loqui paramus, fons sit, uel (ut uerius dicam) oceanus bonorum omnium. Verum ut ipse natura incomprehensus, & infinitus, tamen sese uelut in arctum cohibuit, contraxitq;: itidem & nostra oratio in explicandis eius laudibus, quæ modum nesciunt, modum tamen ipsa sibi faciat oportet. Equidem tria potissimum esse uideo, quæ uel discipulorum uel militum animos solent ad gnauius agendum inflammare, ea sunt ducis admiratio, amor & præmium. Itaque quo præceptori nostro ac duci IESU studijs alacrioribus pareamus, agendum singulatim hæc in eo pia curiositate cōsideremus. Primo loco quàm sit suscipiendus undiq; ac stupendus. Deinde quanto pere diligentius atq; ob id imitandus. Postremo quàm ingens dilectionis fructus. Ac mos quidem est rhetorū hoc dicendi genere illustrium principū adhibere exempla, uidelicet quo collatione crescat is, quæ conantur laudibus attollere. Verum imperator noster usque adeo superat omne celsitudinis humane fastigium, ut quicquid quātumuis egregium adhibueris, tenebras admoueris non lucem. Cuius enim imagines, ac natalium splendor non uideatur esse sumus, si cum Iesu componas? Qui quidem ineffabili, imò etiam incogitabili ratione deus à deo, semper absq; tempore nascitur, æterno summoq; parenti per omnia æqualis? Quanquam huius uel humana natiuitas non ne facile regū omnium claritatem obscurauerit? Quippe qui stupente rerū natura, autore patre, afflante spiritu, pronubo angelo, citra uirilem operā, uirgo de uirgine cœlitus grauida, natus est homo in tempore. Et rursus, ita natus homo, ut neque deus esse desineret, neq; sordium nostrarum quicquam omnino  
 contra

contraheret. Iam uero quid eo fingi potest amplius, qui  
 insusus per omnia, nullo tamē loco cohibitus, in seipso ma-  
 net immensus? Quid illo ditius, qui summū illud est bonū,  
 à quo bona promanant omnia, nec tamen ipse diminui po-  
 test? Quid illustrius eo, qui splendor est paternæ gloriæ,  
 quiq; solus illuminat omnem hominem uenientem in hunc  
 mundum? Quid illo potentius, cui pater omnipotens uni-  
 uersam tradidit potestatem in cœlo & in terra? Quid effi-  
 caciū eo, qui simplici nutu condidit uniuersa, ad cuius  
 iussū filescit mare, uertitur rerū species, fugiunt morbi,  
 concidunt armati, pelluntur demones, seruiunt elementa,  
 scinduntur petreæ, reuiuiscunt mortui, resipiscunt pecca-  
 tores, denique nouantur omnia? Quid augustius eo, quem  
 admirantur superi, tremunt inferi, medius hic orbis sup-  
 plex adorat, ad cuius comparationē summi reges nil aliud  
 quàm uermiculos esse se confitentur? Quid eo fortius atq;  
 inuictius, qui solus mortem alijs inuictam, sua morte deu-  
 cit, ac Satana tyrannidem cœlesti uirtute demolitus est?  
 Quid triumphantius eo, qui perfractis ac spoliatis infe-  
 ris, tot pijs comitatus animabus, uictor cœlos adiit, ibiq;  
 sedet ad dexteram dei patris? Quid illo sapiētius, qui tam  
 admirabili ratione cuncta condidit, ut uel in apicula tot,  
 tantāque suæ sapientiæ reliquerit miracula? quiq; tam stu-  
 pendo rerum ordine, atque harmonia neclit, continet, ad-  
 ministrat uniuersa, obiens omnia, nec tamen à seipso disce-  
 dens, omnia mouens, ipse immotus, omnia concutiens, ipse  
 tranquillus, postremo in quo id quod stultissimum est, uni-  
 uersam mortalium sophorum sapientiam longo superat  
 interuallo. Cuius debet nobis esse grauior autoritas, quàm  
 eius,

eius de quo pater ipse palam est testificatus, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Quid æque reuerendum atque is, cuius oculis perspicua sunt omnia? Quid perinde formidandum atque ille, qui solo nutu potest & animam & corpus in tartara mittere? Quid autem formosius eo, cuius uultum intueri summa est felicitas? Denique si multis pretium reddit antiquitas, quid illo antiquius, qui nec initium habet, nec finem est habiturus? Sed fortasse magis conuenienter, ut pueri puerum admiremur, quandoquidem hic quoque stupendus occurrit, usque adeo, quod illius est infimum, sublimius est ijs, quæ sunt apud homines excelsissima. Quantus erat ille, quem infantulum uagientem, pannosum, abiectum in præsepe, tamen cœlitus canunt angeli, adorant pastores, adorat & quæ genuit, agnoscunt bruta animantia, indicat stella, uenerantur Magi, timet rex Herodes, trepidat omnis Hierosolyma, sanctus amplectitur Symeon, uaticinatur Anna, infans salutis eriguntur pij? O humilem sublimitatem, & sublinem humilitatem. Si noua miramur, quid simile unquam aut factum, aut auditum, aut cogitatum? Si magna suspicimus, quid nostro IESU modis omnibus amplius, quem nulla creatura possit uel exprimere uoce, uel cogitatione concipere. Huius magnitudinem, qui uelit oratione complecti, is multo stultius agat, quam si conetur uastissimum oceanum angusto exhaurire cyatho. Adoranda est eius immensitas magis quam explicanda, quam uel hoc ipso magis mirari conuenit, quo minus assequimur. Quid ni nos id faciamus, cum magnus ille præcursor indignum sese pronuntiet, qui corrigiæ calciamentorum eius soluat? Agite igitur

tur pueri suauissimi, hoc tã in dlyto puero IESV præceptore, hoc tam insigni duce sancta superbia gloriemur, huius sublimitas nobis ad pie audendũ animos addat, in hoc uno nobis ipsi placeamus, ut existimãtes illius omnia nobis esse communia, nos ipsos meliores arbitremur, quã qui semel tali addicti imperatori, mundo uitij's ue, sordidissimis utiq; dominis, seruiamus.

## SECUNDA PARS.

Sed admirantur & contremiscunt etiam dæmones, amant soli pij. Quamobrẽ altera huius orationis pars, ut proprius ad nos pertinet, ita est attentioribus auribus accipienda, uidelicet quot nominibus IESVS sit nobis amãdus, uel redamandus magis, ut qui nos & nondũ cõditos ante omne tempus amarit in se, in quo iam tum erant omnia. Itaq; natiua sua bonitate cũ nihil essemus, nos finxit. Finxit autem non quoduis animal, sed hominẽ, & finxit ad suam ipsius imaginem, hoc est summi boni capaces, ac sacro sui oris afflatu spiritum uitalem indidit. Ad hæc cæteris animãtibus imperio nostro parere iussus. Quinetiã angelis in nostri tutelam designatis, latissimã hanc, ac pulcherrimã mundi fabricã nostris addixit usibus, in qua nos uelut in admirabili quodã theatro cõstituit, ut in rebus creatis opificis sapientiam admiraremur, bonitatem amaremus, potentiam ueneraremur, quoq; id magis fieret, tot sensuũ adminiculis instruxit, tot animi dotibus ornavit, tam perspicaci ingenij lumine condecorauit. Quid hoc animante fingi poterat, uel admirabilius, uel felicius? Sed o semper felicitatis comitem inuidiam. Rursum serpentis astu in peccatum, hoc est plus quã in nihilũ relapsus est mi

est miser. Sed hic tu rursum optime I E S U, quàm ineffabili consilio, quàm inaudito exēplo, quàm incomparabili charitate tuum figmentum restituisi. nam ita restituisi ut tibi propemodum expedierit, eamq; culpam quidam non absurde felicē uocauerit. Omnia debebamus conditori, at reparatori plusquàm omnia debemus. Vltro temetipsum è regno patris in hoc nostrum exilium demisisti, ut nos in paradiso exactos, cæli ciues redderes: nostram humanitatem assumpsisti, ut nos in tuæ diuinitatis consortium ascisceres: nostrum hunc limum induisti, ut nos immortalitatis gloria uestires: nostra tectus forma, nobiscum in hoc calamitoso mundo complures annos agere uoluisti, ut uel sic in tui raperes amorem: nudus in hanc lucem, imò noctem emerisisti: nobiscum, atque adeo pro nobis uagisti, sitiisti, esuristi, alisisti, æstuasti, laborasti, delassatus es, eguisti, uigilasti, iciunasti, tot malis nostris obnoxius esse uoluisti, ut nos ab omnibus exemptos malis, in tui, hoc est summi boni communiorem assereres. Deinde per omnem sanctissimæ uitæ tuæ seriem, quàm efficacibus exemplis animos nostros instanmas? quàm salutaribus præceptis erudis ac formas? quàm stupendis miraculis expergefais? quàm blandis monitis trahis? quàm certis promissis inuitas? ut non sit alia commodior uia ad te, nisi per teipsum, qui unus es uia, ueritas, & uita. Sed uiam non indicasti modo, uerum etiam aperuisti, dum pro nobis uinciri, trahi, damnari, rideri, cædi, conspui, uapulare, probris affici, demum & in ara crucis agnus sine macula immolari uoluisti, ut nos tuis uinculis solueres, tuis sanares uulneribus, tuo lauares sanguine, tua morte ad im-

morta.

mortalitatem eueheres. In summa, totum te nobis impendisti, ut tui (si fieri posset) iactura nos perditos seruares, uitæ redditus toties tuis apparuisti, atque illis intuentibus patrē repetisti, ut membra cōfiderent eō se peruētura, quō caput iam præcessisse cōspicerent. Deinde quo magis confirmares amicos, patre placato egregium illud perpetui amoris tui pignus misisti, sacrū illum spiritum, quo mortui mundo longe uerius ac felicius iam uiueremus in te, quā nostro hoc spiritu uiuimus. Quæso quid his summa charitatis argumentis poterat accedere? Ne hæc quidē tam multa, tam magna flagrantissimo tuo in nos amori sat erant. Quis enim commemorare possit, quot martyrum mortibus nos ad huius uitæ contēptum animas? quot uirginum exemplis ad continentiam accendis? quot sanctorum monumētis ad pietatē sollicitas? quā admirādis ecclesia tuæ sacramentis cōmunis pariter ac ditas? ut cōsolaris, erigis, armas, doces, mones, trahis, rapis, mutas, transformas nos arcanis tuis literis, in quibus uiuas quasdā tui scintillulas condi uoluisti, magnum amoris incendium excitaturas, si quis modo pia diligētia conetur excutere. Denique quā undiq; nobis obuius es, ne quando liceat obliuisci tui. Ad hæc quā paterne toleras peccantes? quā clementer recipis ad te redeuntēs? Nec imputas benefacta tua gratis, nec respiscētibus nostrā imputas malefacta, ut subinde tacitis uellicas, ac trahis instinctibus? ut emendas aduersis? ut allicis prosperis? ut omnē moues lapidem? ut nusquam cessat ardentissima charitas in fouendis, asserendis, tuendis, beādis nobis? Sed quā pauca de tam innumeris perstrinximus commilitones? & tamen uidetis quā sit im-

mensus

mensus beneficiorum acruus. Eat nunc qui uolet, & Py-  
ladas, Orestes, Pyrihoos, Theseos, Damonas, ac Py-  
thias uerbis phaleratis efferat mera præ his nugamenta.  
Atq; hæc quidem contulit ultro nihil promeritis, immo  
transfugis, atq; hostibus, & à quibus nihil omnino mutui  
beneficij redire poterat. Si mediocribus officijs homines  
ad amandum hominem accendimur, hunc cōditorem, uin-  
dicem, sic amantem, sic promeritum, non saltem redama-  
bimus? quādoquidem hanc solam gratiam ille à nobis re-  
poscit, quam tamen ipsam in nostrum refundit lucrum.  
Adamas sanguine mollescit hircino, aquilæ, leones, pardi,  
delphines, dracones agnoscunt, ac referūt beneficium: &  
ò duritiam cordis humani plus quàm adamantinā, si tam  
inaudita charitate nō mitescit: ò ingritudinē plus quàm  
beluinam, si tantorum meritorum potest obliuisci: ò singu-  
larem impudentiam, dicā an potius dementiam, si sic con-  
ditus, sic restitutus, sic locupletatus, tanta obrutus benefi-  
centia, ad tantas uocatus spes, quicquam amare potest,  
præter illum unū, in quo, et à quo sunt omnia, quiq; nobis  
omnia secum impertit. Porrò autem quanquam hæc mor-  
talis omnis complectitur, tamen nos illi peculiariter debe-  
mus, propterea quòd in nostrū, hoc est puerorū ordinem  
singulari quadam propensione, atque indulgentia fuisse  
sepe pluribus declarauit argumentis. Primum, quòd ita ut  
erat uatum oraculis promissus, puer paruulus nasci uoluit  
cum esset immensus. Præterea quòd adhuc uteri uirginei  
larebris inclusus, infantis item nondum nati gestu, atque  
exultatione gauisus est salutari. Deinde quòd statim inno-  
centium puerorum sanguine, suam natiuitatem uoluit cō-  
f

secrari,

secrari, ut his quasi uelitis dux inuictus bellum auspica-  
retur. Adde his, quod instante morte triumphali, Hiero-  
solyman ueniens, puerorum occurſu atque officio deco-  
rari, puerorū uoce ſuas laudes decantari maluit. Iam uero  
quā amantem, quāq; ſollicitum puerorum patronum  
agit? cum matribus infantēs ſuos offerentibus, ut IESV  
contactu conſecrarētur, diſcipulis ne poſſent admitti ue-  
tantibus indignans: Sinite ( inquit ) paruulos uenire ad  
me. Neque uero pueris benedixit tantum, uerum etiam ne-  
gat ulli mortalium aditum patere in regnum cœlorū, niſi  
qui ad paruulorum formam deſcenderit. Rurſum quā  
amanter & illud? cum tam grauit̄ deterret ab offēdē-  
dis puſillis, affirmans magis expedire, ut molari ſaxo cola-  
lo alligato præceps in mare detur aliquis, quā ut unum  
quemlibet ex his paruulis offēdat. Atque his quā inſi-  
gne addidit elogium ad puerorum commendationem:  
Amen dico uobis, angeli eorum ſemper uident faciem pa-  
tris. Gr̄atias agit tibi tuus, tibiq; dicatus grex IESV  
præceptor, cui quaſo ut ſacras tuas manus ſemper admo-  
uere uelis, & ab omni ſcādalo procul arceas. Quid illud?  
non ne magnum amoris indicium, cum puerū in medio cola-  
locatum diſcipulis cum exemplum proponit? Niſi, in-  
quiens, cōuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruulus iſte,  
non intrabitis in regnum cœlorum. An non eodem perti-  
net? cum Nicodemo ſciſcitanti, qua uia poſſit ad uitā im-  
mortalem pertinere, iubet ut denuo renaſcatur, hoc eſt  
in puerum redeat. Vſq; adco Chriſto duci noſtro placuit  
infantia, ut ſenes etiam cogat repuerāſcere, ſi modo uelint  
in illius admitti conſortium, extra quem nulla ſalutis ſpes  
eſt.

est. Neque uero à Christo dissonat Petrus cum admonet, ut tanquam nuper editi infantes lac concupiscamus. Neq; discrepat Paulus: Filioli mei, inquit, quos iterum paraturio, donec formetur Christus in uobis. Idem paruulos in Christo lacte potat. Multa sunt id genus loca in mysticis literis. Omnino Christianismus nihil aliud est quam renascentia, quam repuerascentia quaedam. Magnum igitur pueri, magnum pueritiae sacramentum, quae IESVS tantopere delectatus est. Non contemnamus aetatem nostram, quam uerus ille rerum aestimator tanti fecit. Tantum demus operam, ut eiusmodi simus pueri, cuiusmodi diligit IESVS. Diligit autem innocuos, pueros, dociles, simplices: atque illud interim meminerimus hanc deo gratam pueritiam, non in annis esse sitam, sed in animis, non in temporibus, sed in moribus. Est enim praeposterum quoddam, nobisq; magnopere fugiendum puerorum genus, qui mento leui, mente sunt hirsuta, & aetate impubes, uitiosa astutia senes sunt. Est igitur nouum pueritiae genus, quod à Christo probatur, pueritia citra puerilitatem, & omnino senilis quaedam pueritia, quae non annorum numero constat, sed innocentia, & ingenij simplicitate. An non id palam indicat Petrus cum ait: Deponetes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & detractiones, sicut modo geniti infantes, rationale, & sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem? Cur addidit rationale? nempe ut excluderet stultitiam, quae huius ferè aetatis consuevit esse comes. Cur detrahatur inuidias, simulationes, ac reliqua id genus uitia, quae senum sunt quasi peculiaria? nimirum ut intelligere-

Pueritia praeposteram.

Christiana & noua pueritia.

mus Christi pueros simplicitate ac puritate aestimare, non  
 natalibus. Ad eundem modum & Paulus: Malitia, inquit,  
 paruuli estote, sensibus autem perfecti. Quanquam est omnino in  
 ipsa puerorum aetate natiua quaedam bonitas, ac uelut umbra  
 quaedam, ac simulacrum innocentiae, uel spes potius atque in=  
 doles futurae probitatis, mollis & in quemuis habitum se=  
 quax animus, pudor optimus innocentiae custos, ingenium  
 uitae uacuum, corporis nitor, ac ueluti flos quidam uer=  
 nantis eui, & nescio quomodo quiddam spiritibus cognatum  
 ac familiare. Neque enim temere fit, ut quoties apparent  
 angeli puerili specie sese offerant oculis, quin etiam Magi  
 si quando suis incantamentis spiritum eliciunt, in puerile  
 corpus feruntur accersere: at quanto libentius spiritus ille  
 diuinus, pijs ac sanctis euocatus uotis, in huiusmodi domi=  
 cilia demigrabit? Ergo ad has naturae dotes si accesserit  
 summi illius & absoluti pueri imitatio, tum demum et gra=  
 ti in illum, & illo digni pueri uidebuntur. Etenim sic pro=  
 meritum quis possit non amare? Verum enim uero ea ueri  
 amoris uis est, ut eius quod ames quam simillimus esse cu=  
 pias. Quod si in nobis efficit amor humanus, quantum  
 emulandi studium excitabit amor diuinus, cui ille collatus  
 uix amoris umbella est? Proinde si uere atque ex animo non  
 uerbotenus IESVM amamus, IESVM pro nostra  
 uirili conemur exprimere, uel potius in illum transforma=  
 ri. Quod si uirum assequi non possumus, saltim pueri pue=  
 rum imitemur. Quanquam hoc ipsum facinus est haud  
 quaquam puerile, imò senilibus etiam uiribus maius, sed  
 quod ferè nusquam succedat feliciter quam in pueris. Etenim  
 quoties negotium ab humano pendet praesidio, tum ro=  
 bur,

bur, etas, sexus expenditur: uerum ubi gratiæ res agitur non naturæ, tum hoc efficacius exerit sese miraculum spiritus, quo minus erat opis, ac fiduciæ in carne. Denique quid dubitemus, aut diffidamus? ipso formante, fingente, ac transformante nos, quem conemur exprimere? Quis Danieli puero tantum addidit prudentiæ? quis puero Salomoni tantum tribuit sapientiæ? quis tribus illis pueris tantum adiunxit tolerantiæ? quis puerum Hely dignum diuino fecit alloquio? quis Nicolao puero? quis Egidio? quis Benedicto? quis Agneti? quis Cæciliæ? quis tot tam teneris uirguculis, tam masculam, atque inuictam uirtutem dedit? Profecto non natura, sed gratia, & ubi minus succurrit natura, ibi mirabilius operatur gratia. Hac igitur freti, magno animo studiū emulandi puerū IESVM capeffamus, nec unquam oculos ab eo uelut à scopo deflectamus. Absolutū exemplar habemus, nihil est quod aliūde petere oporteat. Omnis illius uita, qd nos sequi debeamus, clamat. Quid autem docuit puer ille purissimus, de purissima uirgine natus? nisi ut omnē huius mundi spurciā, & inquinamenta uitemus, atq; angelicā quandā uitā iam nunc in terris meditemur, hoc est id esse meditemur, quod illic semper sumus futuri. Porro spiritus IESV cum omneis sordes auersatur, & odit, tum præcipue beluinā illam, & prorsus homine indignam libidinem. Quid autem docuit nos, natus peregre, editus in tuguriolo, abiectus in præsepe, pannis inuolutus? nisi ut semper meminerimus nos hic paucorum dierum hospites esse: utq; calcatis opibus, spre-tis mundi falsis honoribus, per pios labores ad cælestem illam patriam expediti festinemus, in qua iam nūc animo

uiuamus oportet, etiam si corporeis interim pedibus terram contingimus. Rursum quid admonuit in Aegyptum aufugiens: nisi ut inquinatorum commercium modis omnibus deuitemus, qui IESVM in nobis, hoc est innocentiam ac mundi neglectum, conantur extinguere. Quid uero docuit circuncisus: nisi ut omneis carnis affectus ad Christum properantibus obstrepentes amputemus, ac tanquam in nobis ipsis mortui solo IESV spiritu duamur ac uegetemur? Quid docuit oblatus in templo: nisi ut totos nos ab ipsa iam infantia Deo rebusque sacris dedicemus, consecremusque, ac protinus recenti adhuc mentis testa IESVM imbibamus? Neque enim ulla aetas ad discendam pietatem immatura est: imò non est alia magis tempestiua ad discendum Christum, quam ea, quae mundum adhuc nescit. Iam ipsi apud uos aestimate pueri, puer ille sic natus, sic Deo dicatus, quam sanctis studijs totam pueritiam trāsegerit. Non otio, non cibo, non somno, non ineptis lusibus, non stultis fabulis, non euagationibus, quemadmodum puerorum uulgus facit: sed aut parētum obsequijs, aut sacris orationibus, aut auscultandis doctoribus, aut pijs meditationibus, aut sanctis ac serijs cum aequalibus pueris colloquijs. An non haec, & multa similia summam complexus est sanctus Lucas? cum scribit ad hunc modum: Puer crescebat, & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. An non palam uidetis nouum pueritiae genus? De pristinis pueris dictum est: Stultitia colligata est in corde pueri. De nouo hoc auditus, Plenus sapientia. Quid adhuc aetatis inscitiam praeteximus, cum audiamus non sapientem, sed plenum sapient

sapientia puerum? Videte ut omnem rerum ordinem hic puer inuertit, qui loquitur in Apocalypsi: Ecce ego noua facio omnia. Perditur sapientia senum, ac prudentia prudentium reprobatur, ac pueri implentur sapientia. Nimirum hoc nomine gratis agens patri. Quoniam, inquit, abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Porro ne stultiam huius mundi, ac fucatam sapientiam affectaremus. Protinus adiecit: Et gratia dei erat in illo. Is uero demum sapit, qui mundo desipit, & nil nisi Christum sapit. Is non est philosophorum libris, non est Scoticis ar-  
 gutijs, sed syncera fide cognoscitur, spe tenetur, charitate deuincitur. Iam uero quam multa docuit nos? ubi duodecim natus annos, à parentibus furtim subducit sese, ne inter natos quidem, ac propinquos repertus, post triduum denique inuentus est. Sed ubi tandem inuentus? Num in circulis? num in choris? num in uijs aut foro? Audite pueri, ubi repertus sit IESVS relictis parentibus, quodammodo fugitiuus, & ubi uos uersari conueniat intelligetis. In templo inquam inuentus est, in medio doctorum sedens, audiens illos, ac uicissim interrogans. Quid docuit nos IESVS his tam admirandis factis? Non dubium quin rem magnam, rem seriam, rem imitandam docuerit. Quid autem? quid? nisi ut grandescere in nobis Christo, quandoquidem, & in nobis nascitur, & habet suos atque gradus, donec occurramus in uirum perfectum, & in menturam plenitudinis eius. Ergo cum grandescit in nobis, docet ut naturales parentum & amicorum affectus in deum transferamus, nihil hic amemus, nihil miremur, nisi in Christo, & Christum in omnibus. Meminerimus nos ue-

Quæ docerit nos Christus.

Sedere in templo.

rum patrem, patriam, cognatos, amicos habere in cœlis, Verum ne quis imaginetur hunc parvulum neglectum, factum, aut inobedientiam sapere, consequitur: Et erat subditus illis. Immo nemo suos parentes uerius amat, nemo magis pie colit, nemo obseruantius morem gerit, quam qui sic continet. Quid autem est sedere in templo, nisi in rebus sacris conuiescere, & ad dicendum animum ab omnibus tranquillum curis adferre? Nihil autem uitij est turbulentius: & otium ac quietem amat sapientia. Iam à quo tandem nos grauemur discere, quam attentas aures præceptoribus præbere conuenit, cum puer ille cœlestis, sapientia dei patris, in medio doctorum sedeat, audiens uicissim, ac respondens, sed ita respondens, ut omnes eius sapientiam admirarentur. Neq; id mirum, cū is esset, ad quem omnis mundi sapientia stulta est. Præclara res legum prudentia, egregia res philosophiæ cognitio, suspicienda res Theologiæ professio. Verum si quis IESVM audiat, illico stultescunt omnia. Ad nostra responsio, si sapientiæ miraculum excitare non potest, certe sapiat modestiam, sonet innocentiam. Rursum obsecro, quam morigeros, quam obsequentes nos esse decet parentibus ac præceptoribus, quos potiores ueluti ingenij parentes habemus, posteaquam ille dominus omnium cum à parentibus non intelligeretur, tamen subditus ille redierit in Nazareth? Debetur hoc pietati, debetur parentum reuerentia, ut aliquoties illorum uoluntati concedamus, etiam si nos meliora uiderimus. Sed iam operæ precium est audire, quã apto fini Lucas IESV pueritiam conclusit. Et IESVS (inquit) proficiebat sapientia, ætate & gratia apud deum  
& apud

Et apud homines. Quā multa, quā paucis nos docuit? Pri-  
 mū cū ætatis acceptione, pietatis itē acceptionem oportere  
 copulari, ne illud in nos iure dici possit, quod in hominum  
 uulgus diuus dixit Augustinus: Qui maior est ætate, maior  
 est iniquitate. Ne uē in hoc pulcherrimo certamine unquam  
 restemus, aut nos affecutos arbitremur, sed in morem cur-  
 rentium in stadio, à tergo relictā negligētes, in anteriora  
 nitamur, ac semper à bonis ad meliora, à melioribus ad  
 optima proficere concmur, donec ad metam, hoc est huius  
 uitæ finem peruētum erit. Socrates iam admodum senex,  
 perinde quasi nihil sciret, ita semper et à quouis discere  
 sitiebat. Itidem et nos quo magis in Christo fuerimus,  
 hoc minus nobis placebimus, si modo uere in illo fueri-  
 mus progressi, adeo quædam pestis est et studiosorum  
 et pietatis. Ac iuxta Fabium, præcox illud ingenio-  
 rum genus, non temere peruenit ad frugem uel erudi-  
 tionis, uel innocentia. Equidem nec ordinem otiosum  
 esse puto apud deum, et apud homines. Ut intelligamus  
 in primis dandam operam, ut uita nostra deo placeat. Id  
 agentes humanus fauor ultra consequetur. Nihil enim  
 uirtute pulchrius, nihil amabilius, quam laus hoc magis  
 sequi solet, quo minus appetitur. Paucis, ut potuimus, uo-  
 bis expressimus exemplar pueri, quem et amare pluri-  
 mum, et imitari studiosissime debemus. Atque omnino  
 tantum uidebimur amare, quantum fuerimus imitati.  
 Rursum tanto plenius imitabimur, quanto amabimus ar-  
 dentius. Proinde hoc ipsum ab illo quotidianis ac puris  
 precibus flagitemus, ut nobis donet amore sui flagrare,  
 sui similes euadere, hoc est castos, puros, incontaminatos,  
 f 3 mites,

mites, simplices, tractabiles, expertes fuci, ignaros doli, nescios inuidiæ, parentibus morigeros, præceptoribus dicto audientes, mundi contemptores, rebus diuinis addictos, pijs literis intentos, nobis ipsis quotidie meliores, probatos superis, gratos hominibus, odore bonæ famæ quàm plurimos ad Christum alliciētes. Hæc inquam astidue flagitemus, hæc manibus pedibusq; conemur, dum habilis ætas, breui alioqui fugitura. Etenim si recte mouit Fabius, optima statim ac primo discenda. Quid prius disci debet, quàm Christus, quo nihil est melius? Immo quid aliud discere oportet christianum quàm eum unum, quem nosse, uita est æterna? quemadmodum ipse testatur, patrem orans in Euangelio. Id si curabimus, utcunq; pro uirili gratiam referemus, tunc singulariter de nobis merito, & illi referendo gratiam, ipsum nobis lucrificemus. Referemus autem hoc plenius, quo uehementius redamabimus. Porro hoc magis illum redamabimus, quo magis uita ac moribus exprimemus. Iam quo magis exprimemus, hoc magis ipso locupletabimur.

## TERTIA PARS.

At interim nonnullis forsitan succurrit animo, duram hanc esse militiam, repudiatis omnibus, cum Christo crucem tollere. Sed memineritis fratres dilectissimi, longe diuersam mundi & Christi esse naturam. Mundus ceu fucata meretrix, prima fronte blandus nobis, & aureus occurrit: postea quo ingrediare altius, quo propius inspicias, hoc magis ac magis tetra, putida, fellita sunt omnia. E diuerso Christus procul intuetibus durior apparet, dum cruces uidemus, dum uoluptatum ac uitæ contemptum.

Verum

Verum si quis fidenti animo totum sese in illū reijciat, reperiet nihil esse mollius, nihil expeditius, nihil dulcius. Nisi forte uerū non dixit ueritas in euāgelio, cū ait: Tolle iugum meum super uos, & inuenietis requiē animabus uestris: iugum enim meū suauē est, & onus meū leue. Hęc nimirum uere est ardua illa uirtutis uia, quā & olim tanto ante Christum, utcunq; somniauit Hesiodus, primo aditu asperior, progressu semper & facilior, & amœnior. Sed quid tandem asperū uideri potest, quo ad tam ingens, tam certum itur præmiū? Si iuxta sapientis dictum, spes præmij minuit uim flagelli, quis in hac momētanea uita, nō leue, non dulce iudicet, quo cœlestem illam, & nunquā defiturā sibi paret uitā, æternum regnare cum Christo, assidue summū illud intueri bonū, uersari in angelorū cōtubernio, ab omni malorum metu procul abesse? Quis oro tantum hoc præmiū, nō uel sexcentis mortibus emptum uelit? Atqui hoc tantum donatiū pollicetur militibus suis imperator noster I E S U S, qui neq; fallere potest, neque mentiri nouit. Iam apud uosmetipsos expendite fructus, æternitatem, ac magnitudinem: contrā quā breue huius militiæ tempus, nimirum haud longius ipsa uita, quæ quid aliud est, quā uapor ad exiguum tempus apparens, aut unius horæ somnium? Sed agendum de hoc interim inastimabili præmio sileamus, atque inspiciamus quā abunde magna mercede dux noster militum suorū labores etiam in hac uita compenset, quāq; disparem metant messē, qui mundo militant, & qui merent sub Christo Iesu. Audiamus quid ipsi dicant impij in libro sapientiæ: Lassati sumus in uia iniquitatis & perditionis, ambulauimus uias difficiles

difficiles, uiam autem domini ignoramus. Illectat mundus  
 fucatis bonorum simulacris, quæ nihil aliud sunt, quam  
 mellita uenena: mox attractos, & uelut inauktoratos, deũ  
 immortalem, in quas curas, quas sollicitudines, quas tur-  
 bas, quæ dispendia, quæ dedecora, in quam conscie  
 mentis carnificinam, in quam infelicem exitum, miseros  
 adducit? Vt hic quoque iam abunde magnas impietatis  
 poenas dedisse uideantur, etiã si nulli consequantur inferi.  
 At qui reiectis mundi fucis, in IESVM, hoc est summum  
 bonum, omnem amorem, curam, studiumq; transferunt,  
 totiq; ab illo pendent, ij iuxta promissum euangelicũ, non  
 modo uitam æternam possidebũt, uerum etiã in hoc seculo  
 centuplũ accipient. Quid est autem accipere centuplum?  
 Nempe pro fucatis bonis uera, pro incertis certã, pro flu-  
 xis æterna, pro ueneno tinctis sincera, pro curis otium,  
 pro solitudine fiducia, pro turbulencia tranquillitatem,  
 pro dispendijs utilitatem, pro flagitijs integritatem, pro  
 conscientie cruciatu, secretũ & ineffabile gaudium, pro  
 turpi atq; infelici exitu, gloriosam ac triumphalem mor-  
 tem. Spreuisti diuitias amore Christi, in ipso ueros inue-  
 nies thesauros. Reieicisti falsos honores, in hoc longe eris  
 honoratior. Neglexisti parentum affectus, hoc indulgen-  
 tius fouebit te pater uerus qui est in cœlis. Pro nihilo ha-  
 buisti mundanam sapientiam, in Christo longe uerius sa-  
 pies, ac felicius. Aspernatus es pestiferas uoluptates, in  
 ipso multo alias inuenies delicias. Breuiter ibi arcanas  
 illas, sed ueras opes Christi, dispulsa mundi caligine uide-  
 ris, omnia, quæ prius arridebant, quæ sollicitabant, ea non  
 solum non admiraberis, sed perinde ut pestes quasdam su-  
 gies,

Centuplum ac-  
 cipere quid.

gies, reijcies, auersaberis. Fit enim mirum in modum, ut simul atque cœlestis illa lux animos nostros penitus attingit, protinus noua quædam rerum omnium facies oboriatur. Itaque quod paulo ante dulce uidebatur, nunc amarescit: quod amarum, dulcescit: quod horrendum, blanditur: quod blandiebatur, horrescit: quod splendidum ante, nunc sordidum: quod potens, infirmum: quod formosum, deforme: quod nobile, ignobile: quod opulentum, egenum: quod sublime, humile: quod lucrum, damnum: quod sapiens, stultum: quod uita, mors: quod expectandum, fugiendum: & contra. Vt repente mutata rerum specie, nihil minus esse iudices, quam id quod esse uidebantur. Ergo in uno Christo compendio, ac uera reperitur omnia bona, quorum inanes ac mendaces imagines, & umbras, ceu præstigijs, mundus hic ostendit, quas miserum mortalium uulgus tanto animi tumultu, tantis dispendijs, tantis periculis, per fas nefasq; persequitur. Quam obsecro beatitudinem cum hoc animo conferre queas? qui iam liber sit ab errore, liber ab affectibus, securus semper gaudens ob testimonium conscientie, nulla de re sollicitus, altus, sublimis, ac cœlo proximus, iamq; supra sortem humanam, qui in Christo excelsissima petra nixus omnes huius seculi fucos, tumultus, procellas ex alto rideat, negligat, uel potius cõmiseretur. Quid autem timeat is, qui propugnatorem habeat deum? ignominiam? At summa est gloria pro Christo ignominiam pati. Paupertatem? At opum sarcinam lubens abiicit, quisquis ad Christum properat. Mortem? At ea maxime in uotis est, per quam scit sese ad immortalẽ uitam esse transmittendum.

dum. Qua de re sit sollicitus, cuius pater cœlestis etiam pilos habet annumeratos? Quid autem cupiat is, qui in Christo possidet omnia? Quid enim non commune membris & capiti? Iam uero quanta est hominis non modo felicitas, uerumetiam dignitas, uiuum esse membrum sanctissimi corporis ecclesiæ, idem esse cum Christo, eandem carnem, eundem spiritum, communem cum illo habere patrem in cœlis, Christum habere fratrem, ad communem cum illo hereditatem destinatum esse, breuiter iam non hominem esse, sed deum? Adde his gustum quendam felicitatis futuræ, quem piæ mentis subinde percipiunt. Hæc nimirum uiderat, hæc senserat propheta, cum ait: Nec auris audiuit, nec oculus uidit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparasti deus diligentibus te. Proinde charissimi sodales, si dabimus operā, ut uere Christi membra simus, iuxta illud propheticum dictum: Iustus ut palma florebit, etiam in hac uita perpetua quadam adolescentia uernabimus, non animo tantum, uerumetiam corpore. Etenim quemadmodum floridus ille IESV spiritus in nostrum spiritum redundabit, ita noster uicissim in suum corpus influet, & quoad fieri potest, in sese transformabit. Nec poterit tantus animi ac corporis nitor uestium sordes ferre. Nam animus noster habitaculum est dei, animi domicilium est corpus, porro uestis & ipsa corporis, quodammodo corpus est: Ita fiet ut capitis puritati totus homo respondeat, donec peracta hac uita ad immortalitatem traducatur.

## EPILOGVS.

Agite igitur optimi commilitones, ad hanc tantā felicitatē,

citatē, summis uiribus enitamur, ducē nostrū IESVM unū  
 admiremur, quo maius nihil esse potest, immo sine quo ni-  
 hil est omnino magnū. Hunc unum amemus, quo nihil esse  
 melius potest, immo extra quem nihil est omnino bonum.  
 Hunc imitemur, qui solus est uerum & absolutum pietatis  
 exemplar, extra quem quisquis sapit, desipit. Huic uni in-  
 hereamus, hunc unum amplectamur, hoc uno fruamur, in  
 quo est uera pax, gaudium, tranquillitas, uoluptas, uita,  
 immortalitas. Quid multis? summa bonorum est omnium.  
 Extra hunc nihil suspiciamus, nihil amemus, nihil appeti-  
 mus, huic uni placere studeamus. Meminerimus nos sub  
 illius oculis, & illius angelis testibus, quicquid agimus  
 agere. Zelotypus est, nec ullas mundi sordes patitur.  
 Quare puram & angelicam in illo uiuamus uitam, ille sit  
 nobis in corde, in ore, in omni uita. Hunc penitus sapia-  
 mus, hunc loquamur, hunc moribus exprimamus. In illo  
 negotium, otium, gaudium, solatium, spem, præsidium  
 omne collocemus. Hic à uigilantium animis nunquam di-  
 scedat, hic dormientibus occurrat. Hunc & literæ nostræ,  
 & lus etiam sapiant, per hunc & in hoc cre-  
 scamus, donec occurramus in uirum per-  
 fectum, & gnauiter obita militia,  
 perpetuū cum illo trium-  
 phum agamus  
 in caelis.  
 Dixi,

CONCIONIS DE PVERO  
 IESV FINIS.

